

tidie in fide Spiritus S. solatium & vim sentire; & quemadmodum infans quotidie ex uberibus matris novas vires sugendo sibi contrahit; sic hominem quotidie ex verbo Dei, tanquam uberius spiritualibus vires novas vite spiritualis accipere. Et, quemadmodum Deus bonitatem & gratiam suam quotidie de cælo manifestat, ut palpare eam & videre possimus; sic ipsum se per verbum & Spiritum S. quotidie in cordibus nostris manifestare, ut dulcedinem ejus gustemus. In illis, quæ l. c. sequuntur, docet, motum illum proficisci ex liberali ac libero dono Spiritus S. qui ignem illum gaudii in alio magis, in alio minus excitet, pro suo, non nostro beneplacito: eoque refert, quod L. Osiander in Psalm. LXIX. scripsit: Gaudium spirituale in alio maius est, in alio minus: & alio tempore majus est, alio minus, quia adhuc circumferimus veterem Adamum. Denique docet, quanto profundius homo in agnitionem magni amoris & beneficiorum Dei immittitur, tanto magis eum amare Deum, tanto magis gaudere in Deo; adeoque gaudium illud spirituale mensuram capere ab amore Dei amati. Nec tamen mutat, quod dixit, liberum hoc esse Spiritus S. donum, pro suo, non nostro, beneplacito collatum.

LXXIII. Itaque juxta hætenus dicta non solum facilius intelligitur, quod diximus; dari gradus ac differentias prægustus beatitudinis, verum & illud, quod B. Lutherus docuit, homines divina dulcedine ac Spiritu perfusos non tam agere, quam agi: plus sentire, quam enunciare possint. Nam & illa, quæ supra diximus, vulgaria aut levia posse videri, si actu ipso præstentur, sublimitatem ac vim suam omnino ostendunt, quamvis ab aliis non expertis contemnantur. Et præterea non negatur, dari gustum bonorum spiritualium præstantiorem, qui communem & quotidianam fidelium sortem excedat, cujus beneficio anima hominis, liberaliore Spiritus S. beneficio ad amoris aut bonitatis divinæ perceptionem seu cognitionem singularem evecta, ipsaque suo amore inhærens Deo, gaudium quoque intensius experiatur.

LXXIV. Cæterum, quod ad *ecstasin* illam attinet, sunt, qui distinguunt inter *ecstasin intellectus*, qua huic repræsentantur cognitiones rerum admirabilium, quæ eum supra vires naturales

rales